

Q. D. B. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
EXHIBENS

DYSENTERIAM EPIDEMIAM,

AD
NEOTERICORUM MENTEM EXAMINATAM,
Et
Clarissimorum Virorum experimentis
nuperrimis curatam,

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
RECTORE HUIUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO, S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIÏque
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c.&c.
IN PERANTIQUA ELECTORALI GERANA,
CONSENSU & AUTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO

VIRI Præ-Nobilissimi, Amplissimi, & Experientissimi

DN. JUSTI VESTI, MED. DOCT.

Patholog. & Prax. Prof. Publ. Fac. Med. Asses. gravissimi,
DN. PATRONI ac PROMOTORIS omni observantia cultu prosequendi,

PRO LICENTIA

in MEDICINA HONORES & INSIGNIA DOCTORALIA
ritè impetrandi,

Publicæ placidæque Eruditorum censuræ submittit

ARTMANN ANDREAS Wigleb / Gebusea-Thuringus,

Die 23. Decembr. Anno 1709. In Auditorio Majori, Horis consuetis.

ERFURTI, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DYSENTERIAM
EPIDEMICAM

NOTIONUM MENTIS EXAMINATA
CHRISTOPHORI WILHELMI EYDAMI
PUGILIS CURATA

PHILIPPO WILHELMO
S. R. COMITIS RHEINBERG

SAEPE OBSERVATO IN
CIVITATE DE WILHELMIBERG
S. R. COMITIS RHEINBERG
HONORIS CAROLINAE
MAGISTRI PHILIPPO WILHELMO
PHYSICO, MEDICO
CONSENSU A. M. RHEINBERG
S. R. COMITIS RHEINBERG

DR. GOTT. WILH. MED. DOCT.

IN THEATRO WILHELMIBERG
P. COLLIGEN 1714

HABITUM A. M. RHEINBERG
S. R. COMITIS RHEINBERG

ELIPT. P. G. RHEINBERG

PRÆMONENDA.



*Si insigne Paradoxon
legentibus primâ fron-
te obveniat ex eo, quod
Autor anonymus Gallus
in Tractatu le Medecin
de soi Même plurimorum morborum
causam in intestinum rectum colloca-
re contendit; Attamen idem assertum
propitiam habet vulgatam in foro
Medico paræmiam, quando dicimus:
Qui bene ingerit, & bene egerit,
optime sanus est. Etenim extra o-
mnem dubitationis aleam positum vi-
detur, partes corporis humani mini-
stras, uti vulgo appellari consuevêre,
tantum persæpe juris in vitam & sa-
nitatem nostram sibi vindicare, quan-
tum partes principes bene maleve
dispositæ, utcunque etiam aliàs cau-*

A 2

sæ

ſæ nobiliores effectu nobiliori mani-
feſtentur: Interim experientia quoti-
diana noſtro velificatur aſſerto, dum
& inteſtina præternaturaliter conſti-
tuta, æque ac hepar v. g. à ſanitatis
ſtatu declinans, horrenda Sympto-
mata producere valent, imò in ipſam
uſque necem ſubjecti patientis tela
exacuunt. Gratiam exempli Dyſen-
teria Epidemia, Exercitii Inaugura-
lis loco impræſentiarum propoſita,
præbet, quemadmodum in proxime
ſubſequentibus Theſibus demonſtra-
tum ibo. Quas ut D. I. O. M. ratas eſſe
velit, atq; totum Actum Inauguralem
ſucceſſu proſpero Clementiſſime digne-
tur, humillimis contendo precibus:
Dum interea L. B. ſuam quoque be-
nevolentiam & attendendo & excu-
ſando, ſicubi forte erratum fuerit,
ut confido, declarabit.

TH. I.



I. N. D.

TH. I.

Equidem nonnulli eruditorum vano religionis metu tacti hactenus influxum astrorum in corpora sublunaria negare, eumq; ex foro Medico tantum non exterminare conati sunt: Verum invitâ sane Minervâ. Quippe rationes in contrarium allatæ tanti ponderis vix sunt, ut id, quod Philosophia rationalis, testimonium sensuum, & experientia quotidiana evincunt, satis remove valeant. Etenim quod astra sint moles corporeæ vita carentes: Quod immenso spatio à mundo sublunari distent: Quod virtus influentialis vel irradiativè, vel substantialiter, vel quovis alio modo emanans parcissima sit, adeoque legitimâ & rationali ad effectus attributos proportione destituatur: Partim petitionis principii, partim fallaciæ consequentis, partim ignorationis elenchi crimen incurrere videtur. Ideoque brevissimis huic objectioni tripartitæ unicâ responsione animam expectorare possumus, dicendo: *Ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis.* Jam vero ruricolæ, rude cæteroquin & imprudens hominum genus, sollicitè tempora anni, diesque certos observant agrum culturi, sementem facturi, plantaturi, germina inserturi, ligna cæsuri, lutum fossuri; Secus si fecerint

fecerint, constellationem debitam spernendo, ædificia
ætatem haud ferunt, semina, plantæ, surcula pereunt,
corrumpuntur, & lutum immensam gryllorum similium-
que insectorum copiam profert, & cohæsiõni parietum,
& inhabitantium commodo summe noxiam; Quidquod à
Medicis observatum fuit, radicem Pæoniæ & viscum
quercinum nonnisi decrecente lunâ collecta orientem
versus decantatam & longe seculorum consensu confir-
matam virtutem illam antepilepticam possidere. Vid.
Pansa in Pharmacop. publ. & privat. Part. I. cap. 2.
Swengfeld, Catal. Stirp. & Fossil. Silesiæ.

TH. II.

Vitam astrorum in dubium vocatam quod concer-
nit, notari velim, astra communi scholarum consensu
ad censum corporum naturalium referri: Naturam vero
principium motus existere: Et motum intrinsecum for-
malitatem vitæ absolvere. Quamobrem & astra sunt
corpora, principium motus intra se habentia, atque juxta
leges bonæ consequentiæ vitâ suo modo gaudentia. Ex
quo removetur axiomatis illius Philosophici fulmen,
quod secus sentientes nobis intentant: Scilicet causa non
potest producere effectum nobiliorem se ipsâ; Nempe
influendo vitam substantiarum animatarum in R. Veget.
Mineral. & Animali varie varieque afficere. Atque hinc
ortum est, quod *Bartholinus* in Commentario de luce
hominis & brutorum, Item *Bodinus* in *Theatr. Naturæ*
Lib. IV. Vitam animantium Cœlestis originis dicant, quia
astra nonnisi igniculi lucentes firmamenti deprenduntur.
Vid. Keplerus Harmon. Mund. Lib. IV. à quibus animan-
tium quorumcunque calidum innatum, tanquam fons
vitæ juxta *Hippoc. Lib. I. de Diet. Text. IV. & IX.* &
oritur & conservatur. Unde sponte suâ sequitur, quod
aliquid

aliquid ex astris continuò exhalare, atque corporibus inferioribus sese insinuare debeat, secus de generatione & alteratione in hoc Universo actum est. Quod quidem nonnisi effluvia ex sideribus promanantia sunt; Quippe sanæ rationi consentaneum est, stellas perinde ac reliqua corpora mundi, suis determinatis gaudere porulis, subtilissimum quid & ab omni sensu remotum transmittentibus, de quo vid. *Waldschmid. Dissert. Astrolog. Medic. Th. XXVII. XXVIII, & Th. XXXI. XXXIII.* Perinde ac durissima solidissimaque mineralium & lapidum schemata suis gaudent effluviis, in quibus virtus, eorumque specifica penes Medicos consistit. Vid. *Boyl. Exercit. de Athmosphær. Corp. consistent. Exercit. 2. Cap. VI. & VII.* Id quod confirmat eleganti spectaculo *Comenius Synops. Phys. ad Lum. Divin. reform. p. 113.* Ubi exempla lapsorum de Cœlo magni ponderis æris, aut ferri corporum recenset. Sic *Borrichius in Act. Hassn.* refert, se vidisse in India negotiatores, qui solà nummorum ad nares admotione, de præstantia eorundem statim judicare potuerint.

TH. III.

Et licet ejusmodi effluvia mirâ subtilitate & paucitate emittantur; Attamen proinde efficacia sensibilis & ingens ipsis deneganda non est, eò magis cum notissimum sit, in naturalibus quantitatem virtutis molis quantitatem sæpenumero antecellere; Quemadmodum in vitris, ex quibus insignis aëris portio per anthliam pneumaticam evacuata est, apparet, relictam portionem ætheream pisi magnitudinem antea vix æquantem totum vitri exhausti spatium implere, ut & in plantarum seminibus germinantibus, ubi ex gemmula saltem tota futuræ plantæ moles exsurgit, nec non in animantium ovulis,
quæ

quæ ad animalia inde postmodum exsurgentia instar puncti deprehenduntur. Cum primis in foro Medico idem testantur medicamenta ex *ſio*, *ſio*, *Opio* & similibus desumpta, quæ sub parva etiam dosi Herculeam opem præstant. *Vid. Diss. Etmüll. parva magnorum morborum initia.* Ut & *Diss. Wedel. de Punctis Medicis.* Nec est, quod metuamus, astris hoc modo quippiam decedere, sive decrementum substantiale pati, quoniam effluvia modo dicta tantæ sunt subtilitatis, ut omnem ponderabilitatem eludant, *Vid. Boyle l. c. Exercit. I.* Quod idem videre licet in Regulo *ſij* & *ſio* vivo, virtutem menstruis appropriatis, salvo pondere pristino, communicantibus: Sic etiam sana ratio suadet, stante periosi universali, effluvia ejusmodi in corpora demissa, suum postmodum repetere principium, atque sic defectum, siquis admittendus videtur, denuo supplere. Et quid multis, nonne tertia ferme pars morborum effluviis astralibus, aëre atmosphærico mediante intra corpus receptis, originem debet? Quorum catalogum *Hippocrates Aphor. Sect. II.* tradidit, expresse insinuans aëris diversam constitutionem corporis nostri sanitatem vel conservare vel enervare. Aëris autem constitutio astrorum moderamini subjecta est. Quod idem gravissima *Dysenteria Epidemia*, quæ præsentis, quem degimus, anno viciniam nostram miserè afflixit, confirmare poterit, quemadmodum ex proximè subsequens ad oculum patebit.

TH. IV.

Itaque ad feliciter indagandam tanti tamque in nostro climate frequentis mali naturam præmonuisse haud parum juvabit, nos in præsentia de illo affectu acturos, qui à difficili intestinorum excretionem nomen trahere
per-

perhibetur. Videlicet, ringente utcunque *Scaligero* *Comment. ad Lib. Hippocrat. de Insomniis*, hic affectus est is, qui à particula Græcorum *δύς*, nomine *ἕστραγγ* & verbo *ῥέω* ratione compositionis dependet, dum serum ichorosum è Massa sanguinea deciduum difficultatem insignem sub tempore excretionis alvinæ observabilem causatur, quæ quidem in Dysenteria sine dolore, alias fluxu hepatico dicta, deficit. Vid. *Hippoc. 2. Epidem.* atque sic occasionem præbuit *Scaligero* hanc interpretationem vocis eludendi: Attamen ea in vado est posita, quando Dysenteriam secundum dici & secundum esse, ut par est, spectamus. Majoris momenti est, variam significationem particulæ Græcæ *δύς* in compositionibus annotare, quando ea in voce Dysenteria designat eam difficultatem, quæ cruciatum & tormina inter dejiciendum parit: In vocibus Dysuria & Dyspnæa conatum & nisum sine cruciatu notabili, cum quis nonnisi post diuturnum nisum mejere aut respirare potest, quemadmodum experientia huic interpretationi suffragatur. Porro ea nobis Dysenteria proposita est, quæ sub certa constitutione Cœli per plures Regiones vagari, & absque differentia & respectu personarum habito homines adoriri solet, ita ut præsentissimum contagii periculum concurrat, id quod omnino nominis ratio exigit, atque communis Medicorum consensus, qui per vocem Epidemius luem ejusmodi significatam volunt,

TH. V.

Proinde exclusam hinc volumus dejectionem cruentam absque torminibus factam, sanguinemque serosam loturæ carnis recens mactatæ similem monstrantem, cujus *Hippocrrtes* sub Tit. Fluxus hepatici *Lib. de Loc. affect.* meminit, eamque *Lib. 2. Epidem.* superius citato

B Dysen-

Dysenteriam sanguinis adpellat, ex hac ratione, quia ipsi omnis excretio sanguinolenta sub nomine Dysenteriae venit. Vid. *Lib de Diet.* Porro nobis res non est cum fluxu hæmorrhoidali, seu naturali seu præternaturali, quatenus ibi ordinariè sanguis floridus satisq; bonus citra imbecillitatem aut cruciatum, statisq; temporibus excernitur. Vid. *Cels. Lib. IV. c. XVIII. §. XIX.* Hic contrariū evenit. Præterea nec Dysenteria Melancholica, in qua sanguis ater grumosus & piceus excerni solet, hujus loci est, de qua vid. *Hippoc. Aph. II. Sect. IV.* Quemadmodum nec Dysenteriam criticam intelligimus, quam experiuntur illi, quibus vel evacuatio per uterum, per nares, per anum alias consveta sufflaminatur, vid. *Hippoc. Aph. II. Sect. I. Forest. Lib. XXII. Obs. XX.* vel quibus in statu reconvalescentiæ singulari naturæ beneficio ejusmodi profluvium accidit juxta *Aph. V. Sect. VII.* vel quibus sanguis luxurians statis vicibus per anum erumpit, quale exemplum *Hildanus* in Observationibus adfert, quando vir quidam, cui per infortunium ambo pedes erant abscissi, postea aliquoties in anno Dysenteriam spontaneam patiebatur. Sic neque Dysenteriam incruentam seu Diarrhæam malignam, cujus *Willisus Pharmacop. rational. pag. 190.* meminit, nostram facimus, quippe quæ potius ventriculi vitium & cacochyliæ soboles est. Denique etiam Dysenteriam benignam excludimus, ita nempe, ut eam non ex professo & explicitè tractandi onus suscipiamus: Quin potius illam hisce indigitamus, quæ aliàs fluxus alvi cruentus, difficultas intestinorum, profluentia alvina sanguinis corrupti, Rheumatismus intestinorum torminosus, & à Nostratibus die rothe Ruhr / der rothe Durchlauff / das rothe Wehe adpellari consuevit.

TH. VI.

TH. VI.

Locus in quo Dysenteria Epidemia suam tragædiam ludit, consentientibus Medicis cunctis sunt intestina eaq; tam tenuia, quam crassa, jam separatim, jam conjunctim, prout magnitudo morbi vel invalescit, vel remissior observatur: Videlicet, quemadmodum functio intestinorum naturalis excretioni excrementorum naturaliter constitutorum maximam partem operam navat: Ita & eorundem functio præternaturalis in excretionem excrementorum præternaturalium ex secunda corporis regione etiam allatorum dubia procul famulabitur. Ut autem præternaturalis intestinorum constitutio in affectu nostro præsupposita clarius percipiatur, eorundem constitutio naturalis ex Physiologicis prius accurate est declinanda, ubi constabit, quod intestina sint corpus tubulosum, sive canales ex tunica carnosâ, glandulosa & fibroso-nervea, ita combinati, ut mediantibus fibris longitudinalibus & spiralibus sese abbreviare iterumque elongare, coarctare & vicissim expandere queant, id quod quidem ordinariè à ventriculo anum versus fieri consuevit: Atque his terminis continetur motus ille Physiologorum decantatus peristalticus, qui ut eò facilius feliciusque succedat, velamentum bombycinam tunicam interiorem intestinorum convestiens circumcirca velut mucilago tenuis adhærescit, quæ & lubricitando, & præmuniendo ab injuria contentorum, si qua fuerint duriora, rigidiora, acriorave, cum primis celebris audit, vid. *Rusch. Epist. Anat. XI.* originem trahens à lymphâ gelatinosa per vasa lymphatica ad glandulas miliares & lenticulares numerosissimas deposita, atque ex his ad superficiem internam transudante, vid. *Peyer, Exercitat. de Glandul. Intestin.* Nostram nunc litem facere nolumus, an prædicta portio

lymphæ cum sanguine arterioso illam cavitatem alluat, an vero per peculiaria vasa lymphatica, quorum vascula excretoria glandulæ superius allegatæ sunt, accedat, quippe hoc parum scopo nostro proderit; Potius annotamus, arterias Meseraicas inter tunicam fibrosam & glandulosam quaqua versum, vid *Verrheyen Anat. Lib. I. Tr. 2. c. X.* & in statu præternaturali, maxime in nostro affectu, plus minus vehementer affici. Ex quo luce meridiana clarius patet, quod intestina simul ad contractiones violentas & frequentiores stimulantur, imò crustâ illâ villosâ prorsus spoliantur, præternaturaliter disposita existant, id quod in fluxu dysenterico evenit. Quia vero morbi à cacochymia serosa cum contagio originem trahentes extra partem affectam in ipsa Massa sanguinea nidulantur, utique commodum erit & in Therapia maximi momenti distinxisse inter locum & subjectum Dysentericæ Epidemiæ, ita quidem, ut locum dicamus partem, in qua Dysenteria Epidemia manifestatur, subjectû illam partem, ubi nidulatur, quod alias subjectum morbi & subjectum causæ accuratiores vocare solent; Licet minus appositè id fiat, quatenus ea, quæ insunt alteri tanquam loco, non sunt in illo tanquam in subjecto, quemadmodum omnes Philosophi hoc discrimen sedulò commendant.

TH. VII.

Itaque nulli ambigimus cum *Willisio Tract. de Febr. e. X.* ipsam M.S. Dysentericæ Epidemiæ subjectum genuinum appellare: Huic enim inhæret id, quod ad excretionem properans intestinâ calamitatem afferre potest, ita quidem, ut idem quoque per alias vias eliminari queat, nisi peculiari motu ad intestina tanquam canales ampliores, nec haud adeo facile læsioni obnoxias duceretur. Vid. *Ballon. Consil. Medicin. Lib. 1. Consil. 57. Schellhamm. de Nat.*

Nat. Part. II. c. 7. §. XI. Waldchf. Disp. XX. c. 2. artic. 3. §. 10.
 Quod ut eo melius intelligatur, merito in animum re-
 vocamus, quemadmodum M. S. sit unum quoddam
 compositum ex particulis Δ eo- \circ o \circ is, gelatinosis & sero-
 sis, quarum istæ sangvinem, illæ lympham, hæ serum
 seu vehiculum antecedentium constituunt; Quæ singula
 suum manet fatum, velut ex cacochymico M.S. statu ap-
 paret. Ad nostrum nunc scopum potissimum collimat
 cacochymia serosa, qua ut vitio primæ digestionis par-
 tes sangvineo-lymphaticæ copiosissimis particulis aquosis
 innatant, aut ipsi globuli sangvinei per fibrillarum suarum
 præternaturalem secessionem à malignitate & contagio
 introductam colliquantur, & in substantiam seroso-ichoro-
 sam degenerant, quam cum Natura amoliri studet, in-
 testina cruentantur necesse est. Vid. *Tr. Uratislav. Pa-
 tholog. Therapeut. Sect. II. §. 5.* Imo quoniam in Dy-
 senteria Epidemia primis diebus communiter dejectio-
 nes biliosæ ac mucosæ observantur, à vero non abhorret,
 ipsum serum à miasmate maligno eousque alterari, ut
 ad vehiculum sangvinis & lymphæ porro præstandum
 ineptum evadat, dum scilicet inspissatur, & acrimoniam
 corrosivam induit subtractâ portione aquosa, biliosis,
 Θ is & φ reis moleculis magis magisque concentratis;
 Quippe ex quibus partibus additâ portione pituitæ subti-
 lis ventriculi, nabeculam in urinis ordinarie constituen-
 te serum conflatur. Quod si quis arbitretur, se hoc modo
 reperisse causam nos erroris cujusdam inauditi arguendi,
 ac si hoc pacto subjectum & causa Dysentericæ invicē con-
 funderentur, & causa proxima subjecti vicē nancisceretur;
 Illi respondemus, distingvendum esse inter M. S. qua talem,
 & inter M. S. corruptam; Illa est id, cui principaliter morbus
 inhæret; Hæc designat materiam illam præcipitatam & cor-
 ruptam

ruptam à miasmate maligno, sive M.S. partem præternaturaliter constitutam, quæ deinceps ad intestina delata ejusmodi turbas excitat, atque Dysenteriam Epidemiam causatur, de quo autem hic non loquimur. Et ut omnis dubitandi occasio ad vivum præscindatur, dicimus cum Philosophicis, M. S. subjectum inhæSIONIS, intestina subjectum denominationis constituere. Ne vero quis putet hæc in auram dicta, vel dicis gratia excogitata esse, eximius usus hujus distinctionis inter locum & subjectum Dysenteria Epidemica ad oculum demonstrandus erit, quando sic certiores reddimur ejus, quod in Therapia rationali affectus nostri instituere tenemur, si eventum per DEI gratiam felicem ægrotantibus & nobis spondere velimus. Quare monemus, Dysenteriam simplicem & localiter & subjective in intestinis existere, atque ideo absterisionem primariò indicare: E contra Epidemiam extra intestina in ipso sanguine esse quærendam, atque principaliter revulsionem exposcere, quam cautelam qui negligit, quæstionem à Practicis in utramque partem ventilatam, utrum in Dysenteria purgare liceat, nec ne? nunquam solide resolvere poterit, quin potius fluctuans semper cogitabit: Manum de tabula.

TH. VIII.

Inter ea, quæ ad tantum tamque atrox malum producendum apta nata sunt, primas tenet motus intestinalium convulsivus motui peristaltico præternaturaliter succedens, sub quo fit, ut tubus intestinalis blandas & vermiculares reciprocationes statasque excrementa deponendi vices deserat, & vago impetu molestissimis contorsionibus depressus, semper expulsionem, irritam etiam persæpe conatu incumbat. Atque hinc illæ lachrymæ, quod afflicti acutissimis dolorum stimulis excrucientur,
gra-

gravissimisque torminibus interdum ferme examinatos videas, quemadmodum hoc idem in novissima Dysenteria creberrime observatum fuit, dum ægroti animi deliquis sub initium correpti subito humi prosternebantur, atque incautioribus suspicionem suffocationis hystericæ aut hypochondriacæ suppeditabant. Hinc *Etmülleri* iudicium utique magni æstimandum est, quando in *Colleg. Pract. p. 144.* ita loquitur: Acerrimus dolor, qui Dysentericos torquet, non promiscue ex corrosione, sed fere maxima ex parte ex spasmodica intestinorum convulsione, quâ intestina irritata spasmò quodam correpta se convellunt, aut torquent, oritur. Vid. quoque *Holderhoff. Tr. de Erroribus Medic. p. 33.*

TH. IX.

His convulsionibus durantibus, glandulæ, poruli vasque sangvineæ intestinorum mirificè non tantum comprimuntur & angustantur, sed etiam fibrillæ per continuos ejusmodi contorsiones attritæ dilacerantur, id quod omnibus partibus mollioribus & tensivis solenne est, quemadmodum quotidie in pannis & linteamentis elotis, ex quibus restans humidum vehementius aliquoties lotricum manu expressum fuit, videmus, qui interitus notabiliter acceleratur in corporibus plus minus arefactis siccioribusve, tali modo sæpius tractatis, ubi filamenta fibris corporum animatorum similia periculo rumpendi longe magis exposita deprehenduntur. Qui ergo mirabimur copiosam lymphæ cruentæ, mucii ramentorum profusionem ab eadem convulsione oriri? Si nobiscum perpendimus, exprimi per ejusmodi violentiam, fluidum glandularum, pororum, arteriarum, solidorum vero compagem seu unitatem solvi. Etenim minime putandum est cum nonnullis, ac sangvineæ & filamentosæ

læ

ſæ dejectiones ſtatim corroſionem vaſorum & fibrarum,
& conſequenter exulcerationem factam evincant, quo-
niam ſi arteriæ inteſtinorum his in ſtatu naturali pecu-
liarem humorem per glandulas inteſtinales ſequeſtran-
dum afferunt, pro cruſta villoſa ſarta tecta ſervanda,
quemadmodum *Verrheyen l.c. p. 93.* & *Gliffon. de Facult.
ſecretic. Tr.* aſſeverant, utique ex eorundem hiatu in
ſtatu præternaturali, excuſſo ſcilicet per vehementem
& impetuoſum fibrarum motum velamento bombycino,
atque ſic oſculis vaſorum denudatis, ſanguinem plorare
poterunt, quemadmodum experimento in muliere
quadam, vomitu ſanguinis enecata, poſt mortem inſti-
tuto, à Clariffimo *Warthono* & *Ruyſchio l.c.* confirma-
tum legimus.

TH. X.

Atque durum hoc fatum inteſtina urget propter
præſentiam veneni Arſenicalis ex M. S. ad inteſtina de-
rivati, quod communiter per acrimoniam corroſivam
bilis æruginofæ aut penitus atræ explicari conſuevit.
Verum quia magnitudo cauſæ magnitudini effectus con-
formis ſit oportet, haud videtur allegata bilis acrimonia
tanto ſufficere morbo, aliàs dubio procul *Dysenteria*
Epidemia quotannis in plures *Scorbuticos*, *Hypocho-*
driacos, *Epilepticos*, *Hystericasque* ſæviret, quod vero
experientiæ quotidianæ reclamatur: Taceo, quod juxta Ob-
ſervationes Clariffimorum Virorum *Melancholici* ab in-
ſultu *Dysenteria* *Epidemia* immunes eſſe ſoleant, quem-
admodum *Job. de Lamoniere in Descript. Dysent. Lugd.
Gall. 1625.* populariter graſſantis, teſtatur, ſe non vidiffe
Melancholicum correptum. Et licet aliquis acrimoniam
†do-Θſam ſive Θlicam cum *Græſio de ſucco Pancreati-*
co, hic ſubefſe contendat, quando is bilem in cane vivo
cultro

cultro Anatomico subjecto per admixtionem Ω \oplus li in substantiam ex atro viridem commutavit: Attamen nodus gordius sic nondum solvitur, quando tenellos punctiones dejectionibus ex atro virescentibus acidumq; manifestū cum nausea insigni spirantibus, sæpissimè vexatos, rarissime Dysentericos observamus. Hinc & rationi magis forte consentaneum erit, si non tam acrimoniæ sponte sua intra corpus prognatæ, sed potius ætheri virulento peregrino ipsam M. S. colliquanti & in tabum ichorosum præcipitanti hunc effectum adscribamus, quod omnino insignem corrodingi vim possidet, quemadmodum in Variolis & Morbillis aliisque Exanthematibus Erysipelaceis malignis, imo in Foniculis peste grassante cernere possumus: Quid quod huic sententiæ faveant symptomata graviora Dysenteriam Epidemiam ubivis locorum concomitantia, foetor scilicet animæ & excrementorum, sanguis grumosus saniei copiosæ innatans, filamenta tunicæ interioris intestinorum abrafa & pingvedo frustulatim per anum ejecta, febris maligna inflammatoria cum exanthematibus purpuram albam referentibus, angustia præcordiales cum inquietudine summa, demumque gangræna, sphacelus, qualia & præterita æstate in vicinia & alibi observata sunt, ut adeo prolixo testimonio & Practicorum catalogo vix opus esse videatur. Si quis vero talia expetat, illum ablegamus ad *Observ. Decur. II. Ephem. Ann. 6. 8. & 9. Bonet, Lib. III. Anat. Pract. Sect. II. Barbett. Lib. IV. Prax. c. 5.*

TH. XI.

Ut autem ad oculum pateat, venenum hoc non aliud, quam Arsenicalis pro sapia esse, ex effectu proprio & Phænomenis, circa naturam Arsenici institutis, optime evincitur.

C

tur.

tur. Nam etsi venena communiter dividantur in ea, quæ erodendo, & in ea, quæ stupefaciendo enecare solent, atque prioribus Arsenicum, Mercurius sublimatus, & Aqua fortis accenseantur: Attamen partim ex odore alliato summe fatido, qualem quoque excrementa & cadavera, Dysenteriâ Epidemiâ occumbentium spirant, partim experientia liquidissimum est, venenum arsenicale cum primis M. S. exitium, acrimoniâ corrosivâ & reâ texturam ejus colliquando atque anæmiâ introducendo, minari, id quod Metallurgi in fodinis Minerarum Arsenicalium copiâ abundantibus laborantes, aut in fornacibus Arsenicalibus operam facientes, testantur, qui colore livido habituque corporis plane exsucco incedunt, evidenti argumento rorem sanguinis penes ipsos deficere. *vid Lang. Oper. Med. P. I. pag. 340.* Mercurius sublimatus vero partes solidas ossa cum primis adoriri, quemadmodum & Aqua fortis, compertus est; De cætero & ialia pura partibus nervis frequentius insidias struunt, & contracturas atq; paralyses causantur. *vid. Act. Hassn. Vol. I. Cap. 125. it. Amat. Lusit. Cent. V. Curat. 65.*

TH. XII.

Et quidem certum est hanc acrimoniâ corrosivam seu Θ +dum corrosivum volatile jam in ipso corpore, succo pancreatico, bile & fermento ventriculo ingentem, in modum depravatis, vel ex malitia quadam connata, vel neglectu diætæ procurata, præexistere, quemadmodum in ulceribus cancris, fistulosis, aliisque insanabilibus prorsus à Nostratibus *Todten-Brüche* vocatis cernimus, imò & in Diarrhœa maligna atque Dysenteria graviore simplici patet: Attamen quia in his similibusque contagi

gii

gii absentia altiore causam rimari jubet, illa impræ-
sentiæ ad nos nil pertinet. Hinc potius ad aërem
elementarem & atmosphæricum respicimus statuentes,
quod venenum illud arsenicale vel à peculiari siderum
inclementia, vel ab exhalationibus purulentis, cadavero-
sis à decumbentium vel demortuorum corporibus uber-
tim aëra versus eructatis, oriatur. Illud fide *Hippocrati-
câ* constat, quando tota *Sec. III.* occupatus est recensere
morbos mutationem aëris absolutam & respectivam
consequentes, ubi cum primis cedro dignus est *Aphor.
II. & XVI.* Elegantissime rationem Dysenteriaë Epi-
demiaë hujus anni reddentes, quod illis in aurem
dictum sit, qui Divinum Senem Nostrum in A-
phorismis vel ignorantiaë vel mendacii insimulare
conantur. Lubens prætereo eximium testimoni-
um *Fracast. Lib. I. de Contag. cap. 3.* ubi L. B. egregia
sane & haud vulgaria de Planetis & stellis fixis mediante
aëre in corpora humana varie agentibus, & speciatim
illa ad putredinem disponentibus, invenire poterit. Ag-
men claudat *Celeberrimus Wedelius noster Lib. III. Apho-
rism. Aphor. 88.* in hæc verba erumpens: *Facta pororum
prius coarctatione, hinc humorum ad fermentationem ma-
jori dispositione, facile morbi acuti, biliosi, inflammatio-
nes, putredines &c.* consequuntur. Quod miasmata
maligna ab agrotantibus interventu atmosphæraë ceteris
communicata concernit, experientia testis esto: Siqui-
dem id omnibus morbis contagiosis solenne est, ut alter
ab altero luem trahat. Id modo apprime notari velim,
ejusmodi contagium ad consanguineos æque absentes ac
præsentes proserpere solere, quasi ex peculiari quadam
amicitia, id quod præter experientiam supra citati *La-*

moniere etiam nuperrima Dysenteria in compluribus
hic loci & Leucopetræ comprobavit.

TH. XIII.

Fructus horarii, qui præterea hoc nomine male au-
diunt, non nisi certa conditione supposita, à nobis incul-
pantur. Etenim quamvis eorum copiose assumptorum
succus frigidus, humidus, aquosus & tenuia in alimentum
laudabile inspissari, aut in sanguinem bonum converti
nequeat, proinde sint cibus ἀπαισιος sanguinem serosorem
reddens, quod cum primis in peponibus & melonibus
observatur: Etsi porro iidem fructus bene maturi sub
dulcedine acidum corrosivum, metallica etiam corpora
solvens, ut Tinctura ♂tis pomata confirmat, in quo
principium præternaturalis fermentationis sanguinis abs-
que dubio consistit: Etsi etiam potus frigidi, pedumq;
frigus fibras nerveas enormiter lædendo vel transpira-
tionem impediendo tormina & dejectiones Dysentericas
movere possint: *Vid. Marcell. Donat. Lib. IV. Histor.
Med. Mirab. & Willis. Pharmacop. rational.* Attamen
enumerata nec semper & promiscue lædunt, nec Dy-
senteriam Epidemiam, sed tantum simplicem, causantur.
Quapropter necesse est, ut aliud quippiam interveniat
populari huic malo accelerando aptum, id quod expe-
rientiâ propitiâ, sunt meteora pessimæ notæ, prædictis
fructibus una cum aliis terræ frugibus velut frumento,
oleribusque adhærescentia, quo sensu uvas, cucumeres,
brassicam rubigine inquinata, hordeum, triticum & siligi-
nem fulmine tacta atro-carbone notamus: Quippe quæ
& durissimo fato, quod Numburgenses haud ita pridem
afflixit, ansam dedere. Certum enim est, plantis hoc
modo altius imprimi characterem deleterium, ne quidem
per fermentationes communiter in eorundem præpara-
tione

tione receptas, omni ex parte corrigibilem. Vid. *Illustr. Ranzov. Tr. de Conserv. Valetud. Cap. VIII.* Denique & illud in vulgus est notissimum, metum & terrorem, sicut in reliqua malignorum morborum caterva, ita & hic multum posse. Vid. *Barth. Cent. V. Histor. 64.* imo à fide dignissimo viro mihi relatum recordor, quod in vicinia ancilla quædam colloquio in officina pistoris cum alia ex domo infecta ejusdem loci forte fortuna adstante, habito, derepente dysenteria correpra fuerit. Ut taceam Diarrhæam malignam facillime in Dysenteriam transmutari.

TH. XIV.

Quoniam igitur ex his, quæ hætenus in Dysenteriam Epidemiam commentati sumus, hujus mali genius nemini non satis innotescere poterit, modo diligenter ad excreta acria, corrupta, fætida, rubra, torminosa frequentioraque, vigilias, sitim, inquietudinem & calorem præternaturalem attendat, quodque conatus dejiciendi tantum non continuus cum gravi tenesmo, pectoris oppressione & febre inflammatoria inter multorum pari fato è vivis jam tum sublatorum stragem infallibiliter id mali comitentur: Nil restat amplius, quam ut moneamus, intestina tenuia magis affecta esse, ex cruciatu exquisitissimo cum nausea, perpetua remora dejectionis, & algore notabili regionis umbilicalis, calore interea interne furente, constare; Intestina crassa potissimum affligi ex dolore verminoso quadantenus priori remissione hypochondrii utriusque ac inguinum absque nausea & dejectionis remora patere. Vid. *Trallian. de ægritud. singul. hum. corp. part. Lib. VIII. c. IX.* De cætero quantum periculi portendat, quidve spei alat noster affectus, loci conditio & symptomatum vehementia declarabunt.

Sic Dysenteria intestinorum tenuium semper periculo-
sior, quam crassorum existit, quatenus ob tunicam cras-
siorem, & remotius à ventriculo intervallum tolerabilior
est, faciliusque medicamentis auscultat. Dejectiones
atræ, fœtidæ, purulentæ & frustula pingvedinis carnisve
continentes mortem prænuntiant. *Vid. Hippoc. Aph. 21.*
22. 23, 24, 26. Sect. 4. Suffocationis sensus, delirium, sin-
gultus, partium externarum algor, internarum ardor
cum ariditate faucium atque exanthematibus, purpuram
albam referentibus, præsentissimæ mortis indicium præ-
bent. *Vid. Aph. 48. 50. Sect. 4. & 72. Sect. 7. it. Decur.*
2, Ephemer. Ann. 10. Obs. XV. Algor extremus regionis
umbilicalis, præcedente horrore & exæstuatione totius
corporis, gangrænam; consequens indolentia sphace-
lum ominatur. *Vid. Wedel. Ephem. Ann. 3. Obs. 43. Dol.*
Encyclop. Med. p. m. 236.

TH. XV.

Quibus præmissis, dicimus, quod Dysenteria Epi-
demia sit intemperies M. S. acris cum profluentia alvina
torminosa, purulento-cruenta atque feбри inflammato-
ria maligna, à convulsione intestinorum quoad excre-
tionem symptomaticam frequentiore atque veneno
Arsenicali contagioso proveniens.

TH. XVI.

Morbos non verbis, sed herbis curari, receptum
est in Medicina proverbium, aurem nobis vellicans, ut
simus memores nostri quoque in præsentī materia officii.
Cui, quemadmodum par est, ut exasse satisfaciam, præ-
monendum est, nos minime ea medicamenta allaturos,
quæ indicationibus Dysentericæ simplicis alias dicata sunt,
neque farraginem Anti-Dysentericorum à Viris Clariss.
hactenus celebratorum in medium prolaturus: sed ea
modo,

modo, quæ præ ceteris in nuperrimo malo Epidemio op-
tato eventu se commendaverunt, quibusque rationibus
innitantur, recensere animus est.

TH. XVII.

Curaturus ergo Dysenteriam Epidemiam tria respi-
ciat: (1.) ut febrim inflammatoriam imminuentem præ-
caveat, præsentem minuat, (2.) ut convulsiones intesti-
norum sistat, (3.) ut partibus exulceratis opem ferat.

TH. XVIII.

Primum quod concernit, nulli diffitemur, V. S.
in tempore institutam, ut in reliquis inflammatoriis
febribus, ita & hic magnum esse remedium, cui par in
sangvine exastuante ventilando est gangræna intestino-
rum præcavenda non datur. Et licet videatur obflare
malignitas, quæ occasionem subministravit Celeberrimo
Barbette in sua Anatomia Practica exclamandi; in fe-
bribus malignis venam secare est patientem jugulare:
attamen in febribus malignis peracutis nono die ad sta-
tum pervenientibus hæc regula exceptionem patitur,
cum primis Plethorâ præsentem & subiecto adhuc vegeto
existente. *Vid. River. de Febr. Pestil. Pet. à Castr. de*
Febr. Malign. Sect. VI. Frid. Hoffmann. Method. Medend.
Lib. I. c. 13. p. 227. & 228. Lud. Septal. Animadv. & Cau-
tionum Medic. Lib. VII. c. de Affectib. imi Ventris. Syden-
ham. Observ. de Morb. acut. Sect. VI. c. 3. Bohn. de Of-
fic. Med. duplic. Part. I. c. 13. p. 258. Lang. Oper. Med.
Part. II. p. 738. Lit. F. & Part. III. p. 374. S. 58. Amat.
Lusit. Cent. 2. Cur. 48. Aëtius Serm. Med. 9. & Fontan.
Resp. & Curat. Medic. p. m. 80 81. Secus ad cucurbitu-
las accedendum, vel medicamentis Diaphoreticis præci-
pitanti facultate simul pollutibus, præcipue nitratis
cum

cum

cum camphora & ∇ sigill. combinatis juxta *Waldschm.*
Disp. XX. c. 2. art. 3. res tentanda erit.

TH. XIX.

Secundum quod concernit, certum est revellendo, abstergendo acrimoniam Θino. Volatilem per medicamenta simul corrigendi & temperandi virtute prædita felicissime curationem institui posse, in quo negotio eximia deprehensa sunt Vomitoria, Diaphoretica Alexipharmacis temperatioribus atque Opiatis permixta, quæ postrema nemo, nisi naturam Opii haud satis callens, reformidat; & denique laxantia blandiora, ubi contagio copulata est Cacochylia, quam ex nausea & sapore amaro aut nidoroso, Anorexia statim ab invasione morbi præsentibus, ut & ex signis anamnesticis vitia Diætæ enormia testantibus judicare licet, Vomitoria sacra profecto sunt anchora, Vid. *Hipp. Aphor. XXI. Sect. I. Waldschm. l. c. Albrecht. Comment. ad Chirurg. Bontekæ p. 814. Schellhammer. de Nat. Part. II. c. 3. §. 3.* & recensitis signis absentibus, vel tertio quodam interveniente, quod in præsentibus per superiora evacuari vetat, laxantia. Vid. *Hipp. Aph. XXIX. Sect. 2. it. Aph. LXV. Sect. 7.* Ubi inter vomitoria commendamus *Orlum album vomitivum, ☿ Otum ♂ ij correctum, atque Extract. Diasari,* reliqua veluti drasticotera dissuademus. Inter laxantia *Rhabarbar. cum Diascord. Fracastorii* exhibitum elegans profecto & tutissimum est remedium, licet nauseabundis quoque in forma potiunculæ cum ∇ *menthæ sine vino* exhiberi queat. Inter Diaphoretica excellunt *cervina, ♂ ialia, Jovialia, Angelica atq; polychresta, ∇ sigillata Strigensis,* alias sub titulo axungia *☉ lis celebris,* quippe quæ est verus *πύλον* Dysenteria Epidemia, dum propter

pter ☉ ♁ ☽rosum æthereum miasma malignum per diaphoresin potenter expellit, propter substantiam pingvem acrimoniam arsenicalem involvit atque obviscat, & propter ♁ ☉re egregie confortat, quibus si *priapum Cervi* & ☽trata debite associaveris, non est, quod de eventu felici, DEO benedicente, desperes. Antequam ad ulteriora pergamus, necessitas exigit, ut paucissimis adhuc moneamus, vomitoria & laxantia quando indicantur, diaphoreticis & V. S. præmittenda esse, extra hanc indicationem diaphoretica statim duodecima post V. Sectionem hora in usum vocanda circa noctem opiata admiscendo, ita quidem, ut pro ratione malignitatis urgentis vel cedentis sudor singulis septem horis tardiusve injungatur.

TH. XX.

Tertium quod cernit, nemo negabit, quod balsamica interna, & consolidantia externa hic expectantur, quæ inter Cl. *Sylvio* maxime arridet *Bals. ♁ anifat.* nobis vero præstantissimus *Bals. Peruvianus*, vel Recentiorum *Locatelli*, cujus basin ☽o *Hyperieonis* constituit. Cum vero balsamica prædicta acria calidaque sint, adeoque huic affectui haud convenientia, necesse est, ut Medicus eadem ita temperare sciat, ne calore & acrimoniâ lædant, interim tamen integris viribus ad partem affectam delabantur, quod quidem commode fiet, illa exhibendo cum decocto spissiori radicum *Altheæ* & *priapi Cervi*, addita mucilagine seminis *Cydoniorum* & *Syrupo ê rosis siccis*, quibus etiam radices *Cichorei* tanquam insigne traumaticum addi poterunt. Interea quoque intestina frequenter eluantur Enematibus citra ambages ad normam Cl. *Sylvij* ex lacte vaccino recente, *Therebinth. Veneta*, *Sach. Thomeo* & vitello ovorum paratiss

D

quibu,

quibus & scopo abstergendi & consolidandi abunde satis fiet.

TH. XXI.

Quod si cuidam modò recentita non sufficere videantur, is pro diffusiori apparatu vires optime refocillabit eleganti Electuario de *Hyacintho*, profluentiam alvinam & tenesmū cum prolapsu intestini recti efficacissime solabitur evporisto illo Rulandino, *Folia Quercus* videlicet incisa vino rubro incoquendo, aut in ejus defectu +to, & mediante forti expressione optime calida cum sacco linteo abdomini repetitis vicibus, ut & ano applicando, prius vero umbilicus Empl. Theriacali tegatur. Præterea tenesimum etiam mediante impositione ▽ ferventis, cui *verbascum*, vel saltem *rapa* incocta fuerit, sellæ cacatoriæ, & vaporem posterioribus excipiendo levamus, quod remedium una cum suffragio ex *Mastiche* & Assere quercino calefacto, cui insidere jubemus ægrotantem, & parabilitate & efficacia mirum in modum sese commendat.

TH. XXII.

Ut vero hanc præfixam curationis metam inoffenso Medicus attingat pede, & ægrotus & adstantes suum officium observent necesse est: Ille in moderatione, hi in administratione. Quare ægrotus sibi temperet à cibo & potu copioso, frigido, crudo, acri, nimis aromatizzato, dulci, & calorem præternaturalem augente: Inquietudinem, denudationem capitis pedumve sedulo caveat, primis diebus contentus jusculis avenaceis, hordaceis, copiose cremore turgentibus, amygdalinis, cannabinis, & ex cerevisia bonæ notæ cum pane intrito, ovis & tantillo Cinnamomi paratis, pulmentis ex *Oryza* cum jure

jure carniū aut lacte, (si primæ viæ repurgatæ fuerint, & fervor febrilis quadantenus remiserit *Hipp. Aph. LXIV. Sect. 5.*) coctis, quippe quæ tantæ efficaciam à communi Medicorum choro deprædicantur, ut convenientissimus Dysentericorum cibus audiant, id quod etiam *Columbus* in itinere suo Americano expertus est, quando in Itinerario scribit, milites quamplurimos Dysenteriam correptos *Oryza* affatim comestâ denuo salvos evasisse. In progressu vero morbi carnes agninae, vervecinae, vitulinae & pullorum, nuce *Moschatâ* floribusque *macis* conditæ conveniunt; potui, urgente siti, immiscendo larga manu *C. C. ustum*, velut egregium evporiston, vasis prius fumo *Masticis* impletis; quo pacto nec haustulus vini rubri adstringentis, inflammatione paulisper sedatâ, usq; adeo reformidandus erit. Adstantes in id incumbant, ut semper temperies aëris pro ratione temporis procuretur, abdomen vero & pedes decumbentis validis operculis indefinenter tegantur, excrementa deposita quantocyus removeantur & ∇ fluenti injiciantur, atq; conclavia à miasmate maligno continuo ex ægrotantis corpore exhalantia, & atmosphæram inquinantia suffitibus ex *Millefol. Succin. Oliban. & bacc. juniper.* depurentur, quod quidem & ipsi ægroto solatio erit. Nam ∞ vitæ nostræ cum Gas sit, elerrime & potentissime per hoc odoris ∞ale, quod inseritur penitus, affici solet, quia contactum immediatum cum eo servat. *Vid. Helm. Tr. Complex. ac Mistion. Element. figment. §. 43.* Quod denique ex affectibus animi quidam hic commendare conatur exercitium Venereum, impium profecto existimamus, *Waldschm. pollicem prementes*, qui dicit: Nunquam de q̄ re hoc tempore cogitet æger ut remedio, sed potius de Abi
in cellam & Ora Pater noster in solatio.

T A N T U M.

D 2

Quando



Quando cruenta Tibi, WIEGLE-
BI, excretio curæ est,
Vicinis grassata locis quæ fecit
acerba
Funera: quæ sævos ægris inferre do-
lores
Assolet, & post se symptomata te-
tra relinquit:
Hòc ipsò monstras, quod sis versatus
in Arte
Pœoniâ, doctus diros dispellere
morbos,
Atque ægrotorum cautâ ratione ca-
dentes
Prolongare dies, revocare ex fauci-
bus Orci,
Quos luis atrocis vehementia tangit
& angit

Maete

Maeste novâ virtute! Tuos ut diri-
gat actus
Omnipotens porrô optatis successi-
bus, opto:
Sic faustæ fortis Tibi depluet aureus
imber,

^{avtozed.}
D, GEORGIUS CHRISTOPHORUS
PETRI ab **Martensfeld** /

Sacri Palat. Cæs. Comes, Consiliarius & Archiat.
Electoralis Moguntinus, Consul Primarius &
Physicus Erfurtensis, Universitatis & Facult.
Medicæ Senior, hujusque p. t. Decanus, P. P.
& P. L. C.

S *Vavis Athenæo sese commendat
abundè
Nostro WIEGLEBI Musa datu-
ra suæ
Indefessæ operæ specimen, quod tem-
poris illam
Respiciat partem, quæ mala multa
tulit*

D 3

En

*En! morbi rabie per plurima castra
furente,*

*Tutius, affectum suppressere ilium
erat;*

*At, tunc speratum nulla poscente vo-
care*

*In dubium causâ, proditur auxi-
lium:*

*Sat citò nunc causas tranquillo tem-
pore morbi*

*Rimari, coeptam gratulor ex a-
nimo.*

PRÆSES.

TE satis, ò *VVIEGLEBE*, probant industria,
Nomen,

Quod Praxi dudum commeritus fueras
Alma Gerana probat scandentem laude Cathe-
dram,

Fama subinde parat præmia plura Tibi.

Leucoris applaudit, promittit Phœbus honores
Et Galenus opes: Symbola honoris habes.

*Hisce Nobilissimo & Experientissimo Dn. Doctorando felices
successus adpreari voluit*

JOANNES PHILIPPUS ETSELIUS, Med. Doct.

Anat. Chirurg. & Bot. P.P. Fac. Assessor Ord. P.L.C.

VIRO

VIRO JUVENI
Nobilissimo Experientissimo atque Clarissimo
DOMINO

HARTMANNO
ANDREÆ *Wigleb* /
Medicinæ Doctorando,

*Suo quondam in cursu Medico Auditori perquam in-
dusirio pro Licentia disputanti,*

D. JOANNES ANDREAS *Sischer* /
Prof. P. E. & Med. Provinc. Isenac.

adclamat

FELICITER!

Quod Tibi geminatum VIRI prænomen olim Sacra
Baptismatis unda dedit, idem hodie augustus Ca-
staldum fons, ex quo ab ignorantia maculis repurgatus
nitidior nobis produisti, præclaro cognomine Medici au-
xit, quippe qui, canente Homero, est VIR πολλῶν ἀνιάξ.
ἄλλων. Quis ergo Te triplicem Virum non demiretur?
Tuamque non extollat præstantiam? Cum omne tri-
num perfectum esse soleat. Maçte hâc Tua Virtute,
Vir Juvenis Clarissime & confide, si ubique Te Virum
præstiteris, semper Tibi propitiam futuram

Εὐφροσύνη

Valè.

Dab, e Musæo d. 21. Decembr, 1709.

ES

Est meritò doctum, *VVIGLEBI*, condeco-
randum

E Conamen lætò carmine magnanimum:
Aspirat summum (sic namque jubetur) honorem
Sectam ignavorum despiciens timidam.
Laudans conatum congrator omnia fausta:
VVIGLEBI vigeat fama, volente DEO!

*Paucis hisce Nobilissimo Domino Doctorando
gratulari voluit*

**Christophorus Wilhelmus Vesti,
Med. Doct.**



Dal. Entwurf zu B. 1773